

scientiam sine ulla ignorantia vel dubitatione, non possidet omne bonum sine ulius ulteriori desiderio, non potest omnia quæ vult &c) sequitur eas esse extra mentem nostram in aliquo ente summè perfecto h. e. in Deo. Ac proinde nisi Deus (h. e. ens summè perfectum, æternum, omnipotens, omniscium, optimum, origo omnium quæ sunt præter ipsum &c) revera esset, non posset ullo modo talis ac tantus in mente nostra repræsentari sive cogitando præsens fisci.

EXERCITATIO VIII.

Cogitationis & picturæ comparatio, ad melius intelligendum pro Dei existentia allatum argumentum utilis.

I. **N**ulla pictura potest esse sine exemplari. Atqui idea est pictura quædam rei in mente. Ergo non potest esse sine exemplari. Cartellus Med. prima: *fatendum est visa per quietem esse veluti quasdam pictas imagines, quæ non nisi ad similitudinem rerum verarum fingi potuerunt &c. nam sanè pictores ipsi ne tum quidem, cum Sirenas et Satyriscos maximè inu-sitatis formis fingere student, naturas omni ex parte*

parte